



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Serenissimo Ac Reverendissimo Domino, Domino Josepho Landgravio  
Hassiaë, Principi Hirschfeldensi, Comiti Catimelobogi, Ditz, Ziegenheim,  
Nidda, Schaumburg, Isemburg, & Budingen, Abbati Infulato ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

SERENISSIMO

*Ac*

REVERENDISSIMO  
DOMINO, DOMINO  
JOSEPHO  
LANDGRAVIO  
HASSIÆ,

Principi Hirschfeldensi, Comiti Catimelibogi,  
Ditz, Ziegenheim, Nidda, Schaumburg,  
Hemburg, & Bodingen,

ABBATI

Infulato Földvariensi, Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis,

*Nec Non*

Ecclesiarum Cathedralium: Leodiensis,  
Augustanæ, & Constantiensis Canonico,

Ordinis S. Huberti Equiti &c. &c.

DOMINO, DOMINO

*Ac*

Patrono Gratosissimo.



SERENISSIME, AC REVERENDISSIME  
**DOMINE, DOMINE,**  
 ET PATRONE GRATIOSISSIME.



Unus hoc si honoratas Cujuspiam in manus venire licuit, non alias decuit potius, quam Tuas, Princeps Serenissime: aut si digna erat hæc lucubratio, cui pars splendoris aliqua à magni præscriptione Nominis affunderetur, non erat, unde illustrem hanc opem vel petere confidentiùs, vel accipere copiosus, quam à Tua dignitate possit. Nam, ut ingentis solum est Oceani vectigalium sibi fluminum dona, tributave accipere, quidem, sed non multò post reddere auctiora: ita non nisi Magnorum, Tuæque cum primis propria magnitudinis hæc existere solet conditio, ut minuta potissimum munera acceptes perquam lubenter & benevolè, non ut habeas quidem illa, sed ut facere Magna non dedigneris. Magnitudinem porrò Tuam eam esse affirmo ego, & mecum alii omnes, in quorum oculos & Generis Serenissimi ortus, & Virtutis prorsus insolitæ clarissimus meridies incur-

D E D I C A T I O.

cūrrit, ut Solem, illum lucis primigeniæ fontem, facilius inspicere, quàm hebetes in Serenitatis Tuæ decora oculos aulim immittere. Quare id mihi consilii capiendum duxi, ut veluti solem ex umbra metimur, ita Magnitudinem tuam pariter, ex comite & Generis & Virtutis congenitæ præstantia adumbrem veriùs, quàm describam. Nihil itaque dicam de avita & immortalis non sago minùs quàm Toga clarissimorum Progenitorum laude, famaque non Hispaniam solùm, Italiam, Belgium, atque Hungariam, sed universam adeò Europam pervagata: nihil, quòd Augustissimam Imperantis Austriæ Domum, præcipuasque Regum, ducùmque in hac orbis parte familias propinqua sanguinis Serenissimi necessitudine contingas: nihil, quòd Serenissimi Parentis Philippi vestigia secutus claritati Generis veræ insuper Religionis pristinum splendorem vindicaris: nihil quòd dubium profectò feceris, majusne Sacro Hubertino Ordini decus ipse adjeceris, an ab Eodem acceperis? nihil denique, quòd cūm tuorum conscia meritorum Hungaria sacro Vertici tuo Infulæ honores summa voluntate detulerit, tum etiam Summæ, quæ Coloniae, Leodii, Augustæ, atque Constantiæ existunt, Ecclesiæ in suum te adoptare Gremium non annuerint modò, verùm etiam concertarint. Hæc filebo hodie omnia (quoniam tacere omnino præstat, quàm minùs loquendo maxima obscurare) solam ut magnitudinis tuæ admiratricem, ita & locupletissimam testem adduco Augustam, quam adeò Virtutis tuæ admiratione implèsti omnem, ut amplissima cūm sit, tuæ tamen capere desperet magnitudinis ornamenta, in dies majora, luculentioraque. Nam quis in urbe hac nostra, adeò peregrinus

D E D I C A T I O.

grinus degit, qui non miretur, nullum tibi fluere diem, quo non divinis constanter præsens Officiis, præ pietatis sensu suavissimo diffluas? quem à Sanctissima nostra Religione tam alienum credam, qui non publicis in Pompis, ac supplicationibus, si non palàm clam certè apud animum suum non approbet fervorem in communi comprecatione minimè communem? quis unquam Princeps (& Tantus!) rarum adeò & antehac non visum, Te præter exemplum Religionis sibi antiquissimæ præbuit, qui diem Te illum perdidisse arbitraberis, quo Numen, operans ad aram Sacerdos neutiquam propitiâsses. Testis est Sacellum in Aula tua (quanquam sacellum tota esse mihi videtur) domesticum: testes, quot ferè in hujus amplitudine civitatis surgunt Catholicorum Tempia; testis adeò Sacra hæc ædes minimæ Societatis Nostræ, quam mox ab Adventu tuo quot diebus, postea verò in Primarum festivitatum anniversaria luce, peractò ad aram Sacrificiò, illustrandam duxisti. Atque hæc tanta in Te uno cumulata decora numquid ingentem Magnitudinis Tuæ speciem præseferunt, & quanto major in animo tuo nostris de industria oculis subducta, delitescat, eloquenti silentio declarant? Et sanè poterat tantæ amplitudinis respectus ignotum Hominem à proposito deterrere offerendi hujus, quod clementi tamen oculo, ut spero, dignaberis, forsân etiam non satis elaborati operis: sed præterquam quòd Heroum Communia in omne genus hominum beneficia sunt, in tuæ existimationis meditatione defixus, etiam inveni, quæ me rursus non absque Fiducia animaret, ex ipsius adeò operis titulo de-

D E D I C A T I O.

desumptam rationem. *Decisiones* tibi offerro meas, qui & limatissimo es iudicio, & si quæ novercalis Lectorum invidia hunc partum allatrare, aut omnino etiam Parenti abrogare, sustineat, ea polles litem hanc decidendi Sapiencia, & in literas æquè, ac literatos benevolentia, ut sub umbra magnitudinis tuæ, Serenissimique Nominis non tutus solum, sed etiam conquiescere possit securus. Nihil hîc ego nimium assentandi Causâ in Laudem tuam protuli, quod omnium, qui Serenitatem tuam aut nôrunt, aut tuam saltem ex aliorum recensitione Sapienciam didicerunt, unanimis non probet consensus. Neque magnopere miror, te Musarum amorem simul esse & amatorem, si mecum ipse repeto, eos te nactum Majores, qui non Patriæ se Patres æstimâssent, nisi & doctrinarum omnium extitissent Mæcenates, qui Gissæ ad Lohnam stabile Musis domicilium posuerunt, Academiam intelligo non incelebrem, qui, ut paucis complectar omnia, excubantes velut ad folium Salomonis Leones gentilitio in scuto præferunt, & doctorum secunda ad inurmuratione ostentant. Quos ita tu æmularis strenuè, ut Musarum non æstimator modò, sed in emerita etiam, & doctrinis severioribus satis superque exulta ætate adhuc earundem in sinu alumnus, nihil habeas in omni vita charius, quàm si quas literatus orbis tuæ erga liberales disciplinas humanitati obtulerit lucubrationes.

Patere igitur, Princeps Serenissime, ut Sacratas manus subeat non inverecundum hoc opus meum, ut non meæ tantùm, sed & Societatis, quam tua semper hæctenus complexa est benevolentia, tenue extet in te observantiæ pignus,  
 ut


DEDICATIO.

ut denique Partus hic, non invita, ut opto, Minervâ in lucem editus, quam à Parente non speret, à Patroni saltem Serenissimi magnitudine sibi promittat securitatem.

Serenitatis Tuæ.

*Servorum Infimus*

Bonaventura Leonardelli, Soc. JESU.



Facultas Reverendi Patris Provincialis.

Cum Privilegio Cæsareo.

**C**um Dominus Martinus Veith Bibliopola Augustanus Typis vulgare desideret Librum, cui Titulus: *Secunda Pars Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum &c.* à P. Bonaventura Leonardelli Societatis JESU conscriptum, & à Patribus ad id deputatis lectum, approbatumque: Ego Rudolphus Burckhart, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ab Admodum Reverendo P. N. Francisco Retz, Societatis ejusdem Præposito Generali, mihi concessâ, eidem ad hanc duntaxat editionem facultatem impertio, simulque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum librum citra Consensum Superiorum vel recudere, vel intra fines imperii, & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias inferre præsumant. In cujus confirmationem, has Litteras Chirographo meo, & consuetô Officii Sigillô munitas dedi.

Augustæ 7. Aprilis 1738.

(L. S.)

RUDOLPHUS BURCKHART.

ELEN-